



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Philaretus C. 1. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

*Novèris licet omnia mysteria, novèris alta terra, alta cali, profunda maris; si te nescieris, eris similis adificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. S. Bern. l. 2. de Confid.*

S. PHILARETUS C. 1. Decembris.

**P**Aphlagonia PHILARETVM genuit rusticæ sortis hominem, sed qui sementem egregiè facere novit. Cum enim optimos agros non malè existimaret pauperes esse, in hos liberali manu disseminare sua non priùs abstinuit, quàm ipse denique egeret. Non tamen fidem fefellere optimi coloni tam bene culta arva. Etenim cum Irene Imp. filio Constantino sponsam diu circumspiceret, Maria demum, formæ id temporis unicum miraculum, eademque PHILARETI neptis, placuit. Igitur Maria ad regium thalamum, PHILARETVS ad summos honores, Consulatum evocatur. Hic verò noster ab aratro Consul in id potissimum incubuit, ut pauperum necessitati consuleret. Nimirum vidisses proletarios, & uno capite priùs censos censum jam Consulibus numerare. Jam pontem Consulibus Curiam dixisses, pontisque incolas conscriptos PP. qui utique frequentes coibant in eum senatum, in quo de ipsorum salutè consultabatur. Porro PHILARETVS supremum ægrotans, cum agnati sanguinis omnes convocasset, multa præclara moriens oracula dedit, ultimò eos omnes suæ in miseros pietatis heredes scripsit, & testamentum pulcherrimo dicto (*estote misericordes*) obsignavit. *Ex Menais.*

*Transferamus, obsecro, qua in hâc alienâ regione*

*habemus : etenim licet multum inter se distent , facilis tamen est transvectio per manus pauperum : eorum enim manus in caelestia promptuaria sibi data reponunt.*  
S. Chryf. in cap. 32. Gen.

## S. FRANCISCUS XAV. SOC. JESU.

2. Decembris.

**F**RANCISCVM XAVERIVM damus, virum, cujus animo alter etiam orbis angustus fuit. Dum vixit, virgo vixit. Testimonium animo integerrimo corpus dixit, longè post mortem etiam in vivâ calce integrum. Sui semper egregius victor non semel è morbidi ulcere ipsum pus hausit. Sed tam sitibundū DEVS deinde tot deliciis per omnem vitam perfudit, ut ebrius sæpè exclamare, diducto à pectore vestimento, coactus sit: *Satis est, Domine, satis est.* Apostoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso Numine dilectus. Siquidem multò antè in somnis tetri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris sibi per quietem visus est. Et quid aliud vigilans postea egit, cum ejusmodi hominum decies centena millia ad Ecclesiæ gremium suis humeris tulit, & tot non tam vultus, quàm animos fuscis sacrâ undâ solus lavit, & cæli candidatos esse jussit. Vaticinia insuper edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, idem eodem tempore geminis in locis & longissimè diffitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinque supra viginti. Omnibus omnia factus, in convivis etiam atque ludis animorum lucrum quæsit, invenitque. Ad extremum dum amplissimum Sinarum regnum laborat ingredi, in ipso ejus portu  
ad